

## Sermon from the notebook of John of Dąbrówka\*<sup>1</sup>

Manuscript: **BJ 1635, f. 93v-94v**

[Thema] *Talis decebat ut esset pontifex, sanctus, innocens etc.* [Heb 7, 26]

Quinque bona ostendit Apostolus habuisse nostrum episcopum, contra quinque mala, que tunc erant in Cracovia, que utinam modo non essent:

<A> Erat enim tunc quasi excommunicata, id est multis peccatis involuta. Et ideo misit ei Dominus episcopum non ebriosum, non luxuriosum, sed sanctum et mundum; et ideo dicitur *sanctus*.

<B> Habundabat in ea luxuria et gula, et utinam non modo. Et ideo misit ei episcopum sobrium, castum; et ideo dicitur *immaculatus*.

<C> Erant in ea multi infideles et turpes peccatores cum brutis peccantes sicut rex, qui equam pro uxore habuit. Et ideo misit ei Deus episcopum fidelem et a talibus penitus semotum, quod patet, quia propter hoc est occisus; et ideo dicitur *segregatum a peccatoribus*.

<D> Item erant homines bestiales, indevoti et terrena tam diligentes. Ideo misit eis patrem devotum et tota mente et anima celestem, corpore erat in terra, sed mente in celo; et ideo *excelsior celo factus* in mente.

Felix Cracovia, que talem meruit habere patrem et felices in his ipsum imitantes.

Dicendum autem tria de beato Stanislao:

<1> primo ostenditur sua **dignitas**, quia *pontifex*,

<2> Secundo sua **sanctitas**, quia episcopus peccator non est episcopus, dic.

<3> Tercio sua **felicitas**, quia in celis habet mansionem, *excelsior inquit celis*.<sup>2</sup>

<a> Et quia noster **episcopus** est, debemus ab eo benedictionem petere, quia hoc suum officium est, quod ipse libenter faciet. Legitur de ipso, quod in visione videbatur in quodam campo multos benedicere.<sup>3</sup>

<b> Item quia **sanctus** est, potest nos sua prece sanctos facere.

<c> Item quia noster **Polonus** est et apud nos, debemus eum diligere ex reverencia. Hoc est, quod dicit Sanctus Ambrosius:<sup>4</sup>

*Cuncti, inquit, martyres devotissime [f. 94r] colendi sunt, sed specialiter hii venerandi sunt a nobis quorum reliquias possidemus. Illi alii sancti nos oracionibus adiuvant, hii nobiscum morantur et in corpore viventes nos custodiunt et de corpore egredientes excipiunt, hii iuvant ne peccemus, hii ne horror inferni invadat. Nam hoc, inquit, a maioribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra ossa sociemus. Unde cum illos tartharus metuit, nos pena non tangit et dum illos Christus illuminat, a nobis tenebre diffugiunt.*

Item, quia in celis habitat, rogemus, ut nos cum eo simus.

Quod autem fuerit sanctus hic **probat ipse Deus, hoc celum, hoc terra, hoc ignis, hoc aqua, hoc diversa infirmitas**,<sup>5</sup> quam ipse curavit, et omnia membra humana.

<sup>1</sup> Sermon no. IV in Kuzmová, *Preaching Saint Stanislaus*.

<sup>2</sup> Cf. Peregrinus, *Sermones*, 584, lin. 5-8; and other variants of the division in its various manuscripts.

<sup>3</sup> Cf. Peregrinus, *Sermones*, 584, lin. 11-21.

<sup>4</sup> The text attributed by the preacher to St. Ambrose is edited under the name of Maximus Taurinensis, cf. *Collectio sermonum antiqua*, CCCM, vol. 219a, Sermo 12, v. 26ff. It was elsewhere attributed to Augustine. It is also quoted by, among others, Rabanus Maurus, *Homiliae de festis praecipuis*, Homilia 25 – “In natali sancti Albani martyris,” PL 110, coll. 49-50.

<sup>5</sup> Cf. Peregrinus, *Sermones*, 588-591; other variants in Chapter 4.

Sanctum enim ostendit **Deus** corpus eius sectum potenter reintegrando. Dignum enim fuit quod ille, qui divisum cor non habuit, quod nec corpus divisum haberet. *Multi sunt divisi corde*, Osee X [2]: *Divisum est cor* eius, et plures divisi corpore, qui corpus multis meretricibus dividerunt.

Hoc probat **celum**, quod statim lucem sui corporis particulis irradientem destinavit et a tumba eius, ut dicitur, per X annos non recessit, innuens, quod filius erat lucis et non tenebrarum; et in hoc fuit similis Paulo, cuius caput semper radius illuminabat.

Hoc probat **aer**, qui statim aquilas in corporis sui defensionem misit et hoc ideo ut rex avium regi homini obsequium prestaret; et in hoc communicat cum sancto Vincencio, cuius corpus corvi defenderunt, et in sancto Floriano.

Hoc probat **aqua**, que puerum ad sui invocacionem non submersit, alium autem submersum suscitavit; et in hoc similis est sancto Andreo, qui XXX submersos suscitavit. Si ergo submersus es in aliquo peccato, roga.

Hoc probat **ignis**; exemplum de Andrea filio Sinilonis, quem cum flamma in domo quadam omnino involvisset, ad invocacionem sancti Stanislai flamma se dividens viam fecit latam, ut exiret; et in hoc similis Agate, cuius velum ignem Ethneum<sup>6</sup> non permisit. Si ergo urit te ignis luxurie, roga.

Hoc probat **terra**, que mortuum ut testis fieret episcopi super villa ecclesie, vivum emisit.

Hoc probant **demonēs** quos verbo et sui corporis presencia ab obsessis eiciebat. Vide mirabilia! Tota creatura servit sancto et defendit! Soli nos ipsum impugnamus contra certando et ecclesie sue iniuriam faciendo.

Item quod fuerit sanctus, hoc probat **omnis infirmitas**, quam ipse curavit. Omnis autem infirmitas aut est capitis, aut membrorum aliorum. Dolorem capitis sanavit in muliere orante ad sepulcrum suum; quidam natus sine cute statim [f. 94v] cum sancto fuisset oblatus, pellem recuperavit. Dic exempla.

Et licet ita fuerit sanctus, infelix Boleslaus non timuit ipsius infulam calcare,<sup>7</sup> et [ipsum] occidere, et canibus dare. Et propter hoc exilio damnatus perit et sui omnes fautores.

---

<sup>6</sup> Cf. Arnoldus Lubecensis, *Chronica Slavorum*, MGH Scriptorum Rerum Germanicarum 14, liber 5, cap. 9, 180.

<sup>7</sup> Cf. *Vita maior*, 391: "caput pontificis amputare non horruit et infulam conculcavit."